



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XVI. Potiùs in aduersitate quàm prosperitate referendas gratias: non Deo tantùm, sed & Crvcem inferenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

## CAPVT XVI.

Potius in aduersitate quàm prosperitate  
referendas gratias : non Deo tantùm,  
sed et CRUCEM inferenti.



ÆC UT Staurophilæ gratiarum  
actionem non parum com-  
mendabant, ita dubium vnum  
alterumque animo eius sugge-  
rebant : quæ instructori suo  
proponere cupiens ; Obsecro, Domine, in-  
quiebat, id ancillæ tuæ explicare ne graue-  
ris: Maiórne gratiarum actio in prosperita-  
te, an in aduersitate referenda? Quid verò  
dubitas? aiebat Christus, Cuinam censes  
amplior redhibenda gratia, maiori an mi-  
nori beneficio? Maiori, inquiebat illa. Com-  
para igitur, inquiebat Christus, aduersa se-  
cundis; & vtra præponderent diligentius ex-  
pende. CRUX à peccato reuocat; prosperi-  
tas ad illa allicit & impellit. *Etenim multo* 2. Mach. 6,  
*tempore non sinere peccatoribus ex sententiâ* 13.  
*agere, sed statim ultiones adhibere, magni be-*  
*neficij est indicium.* An non & illud, quòd tri-  
bulatio ad Deum moneat recurrere, prospe-  
ritas eiusdem inducat obliuionem? Timo-  
rem deinde Dei, & compunctionem CRUX

Q 4

ex-

Bernard.  
lib. 2. de  
Confid.  
cap. 12.

excitat: *prosperitas animum à sui custodia & disciplinâ relaxat. & quando incautis illa non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad niuem vel glaciem? Sapiens David, sapiens Salomon fuit, sed blandientibus nimis secundis rebus dīter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in aduersa, non excidit vel parum à sapientiâ. Nec minor, cui presens felicitas si arrisit, non irrisit. Tribulatio & CRVX æternæ beatitudinis prognosticon & arrha quædam est, successus temporalium futuræ damnationis non leue indicium. Nam sicut fulgur tonitrua portat, ita prosperitas supplicia sempiterna prænuntiat. \*Si cui in terrenarum affluentia rerum felicitas arridere cupita videtur, eo ipso infeliciores est, quò vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & absorbetur ab eâ. Quid nunc de his duobus affirmas? vtrum maius existimas munus? CRVCE vix malè quis vtitur, prosperitate vix quisquam benè.*

Bernardus  
Senenf.  
Serm. 23.  
in Fer. 5.  
post Dom.  
2. Quad.  
art. 3. c. 3.  
\*Bernard.  
Serm. 11.  
in Psalm.  
Qui habitat.

Profectò, aiebat Staurophila, si æterna meditemur, vt par est, excellentius donum est tribulatio, & ampliori dignum gratitudine. Rectè respondisti, inquiebat Christus: nam *si Astronomorum omnium prædita esses scientiâ; si tam copiosè & eleganter posses de Deo dicere ac eloqui, quàm cuncta & Angelorum*

Suso in  
Dialogo  
ætern. sap.  
cap. 13.

& hominum lingua, si denique sola eâ esses eruditione luculenter instructa, quot simul tota litteratorum atque Doctorum omnium frequentia, non tibi isthæc omnia tantum conferrent ad vitæ pietatem ac sanctitatem, quàm si in quibuslibet afflictionibus tuis Deo te permittere ac resignare possis. Illa namque bonis malisq; communia sunt; hoc verò non nisi electorum est. O si quis iusto posset perpendere iudicio tempus & aternitatem! mallet ille profectò vel centum annis in ardenti iacere camino, quàm vel minimâ leuissimâ afflictionis carere mercede in celis aternùm percipiendâ. Illud namque finem habet: istud nullo clauditur termino. Et ideò licet centùm quis annis Deum supplex adoret, haud tamen dignas ei gratias agere posset pro minimâ tribulatione à Domino immisâ. Et mirandum profectò est, quòd sub pedibus electorum omnes lapides non vertantur in spinas in capita illorum insilientes, adeò ineffabilia bona erunt, quæ breuissimo suo labore consequentur. Quis vmquam, inquiebat Staurophila, vel animo concepisset, tantum boni sub CRUCE latitare, tantumque mellis propinandum pro modico fellis?

Sed illud prætereà animum non nihil sollicitat, num satis sit diuinæ bonitati pro immisissis calamitatibus gratias habere, an verò & iis habendæ, quorum improbitate, odio,

Q 5

&amp;

Anto. He-  
martius in  
Spec. per-  
fect. c. 10.

& maleuolentiâ CRVCES in nos deriuantur?

Matth. 5,  
44.

Gregor.  
Hom. 30.  
in Euang.

Luc. 23, 34

Miror, inquiebat Christus, cur hîc hæreas, si modò Scripturas legeris; an non diserte in Euangelio prolocutus sum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persecuentibus & calumniantibus vos?* Si diligendi inimici, consequenter & dilectionis signa exhibenda: *Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis.* Benefacere autem, & orare pro persecuentibus, non tam gratias agere quàm referre est. Nõne in CRVCE pro ipsis crucifixoribus meis orauit, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt?* In quo me & protomartyr Stephanus, & Apostolus Iacobus imitati sunt. Quæ autem maior gratiarum actio esse queat, quàm in ipsâ morte orare pro illis qui eam inferunt?

Excellentissimè sanè, inquiebat Staurophila, hic virtutis gradus! non solum non malefacere, non malè velle malefactori, sed etiam ex ipsâ iniuriâ occasionem accipere benefaciendi! Nescio autem quomodo ad eam vel aspirare tandem poterò.

Aliorum saltem, inquiebat Christus, te excitent exempla: neque enim difficile est imitari, quod ab aliis tibi que similibus gestum cognoueris. Non meministi quid de Philosophi cuiusdam discipulo celebratum legatur?

tur? Peccauerat hic, & indulgentiam petebat: sed concedere eam Philosophus noluit, nisi triennio toto esset cum damnatis, qui metalla in flumine deponunt. Deinde voluit, vt aliis tribus annis mercedem daret, qui iniurijs & conuitijs eum afflixissent. Completâ autem hac pœnitentiâ, dixit ei Philosophus: *Veni nunc in ciuitatem Atheniensium, vt illic sapientiam possis discere. Erat autem ibi quidam Senex sapientia studiosus, & sedebat ad portam, omnesq; ingredienties experiendi causâ conuitijs affligebat: qui cum idem iuueni ingredienti faceret, ille exorto cachinno risit. Cui Senex ait: Quid est hoc, quod agis? ego te iniurior, & tu rides? Cui iuuenis ait: Et non vis vt rideam, cum tribus annis mercedem dederim, vt hoc paterer, quod hodie à te gratis patior? Tunc Senex dixit ei: Ingredere ergo ciuitatem, quia dignus es. Hoc autē solebat Abbas Ioannes referre, & his ipse addebat, dicens: Hæc est porta Dei, per quam Patres nostri per multas tribulationes & iniurias gaudentes ingressi sunt ciuitatem Dei. Sed iuuerit & alios huius virtutis cultores oculis obijcere, ne arduitate operis, & raritate sic operantium te forsan excuses. Gloriosus martyr Cyprianus capitis damnatus, spiculatori à Diaconis suis aureos viginti quinque numerari iussit. Alexander*

Ruffin.in  
Vit. Pat.  
lib. 3. n. 84.

Baron.  
Tom. 2.  
anno 261.  
num. 30.

xander

Sophon.  
in Prat.  
spirit.c. 34.

Gregor.  
Hom. 35.  
in Euang.

Leont. in  
Vcā, apud  
Surium  
Tom. I.

xander Patriarcha Ierofolymitanus Notarium habuit, qui aurum ei furripuit. Is post eā captus fuit: sed pius Patriarcha eum octoginta quinque numismatibus redemit. *Quo reuerso ita piè misericorditerq; vsus est, vt quidam ex urbis habitatoribus dixerit aliquando, nihil esse utilius, quàm in Alexandrum peccare.* Stephanus Abbas tantæ erat patientiæ, vt eum sibi amicum crederet, qui sibi molestia aliquid irrogasset. Reddebat contumelijs gratias. Si quod in ipsâ suâ inopiâ damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud quàm adiutores aestimabat. Lepidum porro est quod de Ioanne Eleëmofynario litteris commendatum est. Caupo erat, qui multis iniurijs & contumelijs affecerat iuuenem huic sancto sanguine iunctum. Iuuenis apud Episcopum grauitè conqueritur, Episcopus vt iuuenis animum mitigaret, Itane, inquit, ausus fuit te vel verbo violare? Faciam in eorem, quâ tota Alexandria mirabitur. Moxq; vocato ad se vectigalium magistro, iubet vt nihil amplius vectigalis, aut aliquod aliud Ecclesiæ debitum ab illo caupone exigat, sed vt immunem illum ab omni solutione, quæ quidem ipsi vel Ecclesiæ eius deberetur, relinquat. Hoc videlicet eius factum tota Alexandria mirata est.

Viro-

Virorum hæc sunt, aiebat Staurophila, in paucis fortium: quos & feminas aliquando ex Dei gratiâ æmulatas facilè crediderim.

Nam de beatâ Lydvvinâ Batauâ virgine Sur. in Vitâ Tom. 2. cap. 1. proditum accepi, eam contumeliis & conuitiis à furenti feminâ proscissam, nullo modo fuisse commotam. Cùm illa deinde & in faciem eius fœdissimè exspueret, & clamoribus ac maledictis, tamquam vim passa, concitaret, mitissima virgo in patientiâ suâ animam possidebat. *Maleficio verò beneficio compensare volens, clam ei munusculū transmissit; dicebatq; suis: Illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, me currere compellunt.*

Acta Canonizar. relat. 2. art. 6.

Theresia quoque, notissimæ sanctitatis virgo, hos ardentius amabat, Deoque precibus commendabat crebrius, quos sibi aduersarios & maximè inimicos cognouerat, quibus etiam non rarò beneficia impendebat: vt Episcopus quidam dicere soleret, non esse præsentius medium ad sanctæ illius heroidis amorem conciliandum, quàm iniuriâ eam vel damno afficere.

Hæc cùm ipsa scias, filia, subijciebat Christus, quid est quod antea ambigebas? Inde, Domine, aiebat Staurophila, quod memorie non occurrerent, & præceptum de diligendis inimicis in Euangelio traditum, aded  
exi-



eximium semper putauerim, vt paucissimi illud, & vix impleuerint. Est id quidem, aiebat Christus, magnæ perfectionis, quæ ipsa tamen & in veteri lege præscripta. Quid enim est illud? *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* Quid, quæso, sibi voluit Salomon, cum diceret: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi?*

Mirum, subdebat Staurophila, in illâ lege, quæ nihil ad perfectum adduxit, tantam perfectionem legi & præscribi. Cui Christus: Virtutum celsitudinem haud facile assequitur infirmus animus, & passionum suarum caligine obnubilatus. Tu verò ad summa semper annitere, & ab iniuriarum memoriâ *tum demum perfectè te curatam intellige, non cum pro eo qui te contristauit oraueris, non cum illum muneribus affeceris, non cum ad mensam tuam eum perduxeris: sed cum, cognitâ illius aliquâ calamitate, siue corporali siue spirituali, quasi ipsa eam perpeffa fueris, ita te angere dolore atque lacrymari perspexeris.*

Hei mihi Domine, inquebat Staurophila, quàm longè sum ab hac perfectione! Et quando eò perueniam, quò tot Sancti & Sanctæ

Sanctæ suis exemplis viam strauere? Noli desperare, aiebat Christus, *nec tuis te viribus hoc implere posse confidas: sed obtine precibus, vt ipse hoc qui imperat, præstet. Quia petentes libenter exaudit, quando hoc petitur largiri, quod iubet.* Nequẽ verò te dei gere Sanctorum præstantissima exempla, aut pusillanimum reddere debent; *illa siquidem in altero è duobus te optimè erudiant; aut enim imitationem sanctæ formæ excitabunt: aut ad tuipsum agnitionem, & eius, quæ in te est fragilitatis, demonstrationem per beatissimam humilitatem te conuertent.* Crede mihi, filia, magna imperfectio est, suam non ferre imperfectiõnem; & impatientiam ostendere, quia minùs sis patiens. Nam & hoc æquo animo tolerandum, donec ad altiora, Spiritu sancto aspirante, promouearis. Interim studium & laborem huc adferre oportet.

Gregor.  
Hom. 35.  
in Euang.

Climac.  
Gradu 26.



CAPVT

Mihi absit gloriari nisi in CRUCE Dñi  
nostri IESV CHRISTI. Gal. 6, 14.



*Non onus est, sed honos; non dedecus, at decus inq̄s;  
Tecum vel minimam CHRISTE tulisse CRUCEM.*

END